



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Articulus V. De excommunicationibus Papæ reseruatis in bulla cœna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

excommunicationem à qua non nisi à Romano Pontifice absolui possit, incidat.

Nona habetur extrauag. *viam, de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, vbi prohibetur Mendicantibus, sub pœna excommunicationis Papæ reseruata, & tam à recipientibus, quam à receptis ipso facto incurrenda, ne ad aliquem Ordinem Monasticum, præterquam Carthusianorum, prætextu cuiusuis facultatis, transuolare præsumant, sine licentia speciali sedis Apostolicæ: & consequenter statuitur, vt secus facta non teneant, nulliusque sint efficaciz, vel momenti.

Quo loco tria aduertenda sunt, 1. ex vi huius extrauag. non esse prohibitum Mendicantibus, ad Religionem Mendicantium transire. 2. nec sufficere quod quis cum licentia sui Prouincialis aut Generalis ad Ordinem aliquem Monasticum transeat, sed ad hoc necessariam esse specialem licentiam summi Pontificis, nisi aliunde eiusmodi potestas alicui Superiori Ordinum Mendicantium concessa sit. 3. vt prædicta excommunicatio incurratur, requiri vt quis prætextu alicuius facultatis aut priuilegii, ex Ordine Mendicantium ad Ordinem Monasticum transeat.

Decima, de qua in extrauag. *Ad nostrum*, eodem tit. fertur in quoscunque Religiosos, qui absque Superioris Ordinis (sui licentia, sibi per ipsius litteras patentes concessa, ad partes transmarinas se transferunt. Itemque in Superiores qui aliis sui Ordinis quam viris litteratis, prouidis, & expertis eiusmodi licentiam concedere præsumunt.

ARTICVLVS V.

De excommunicationibus Papæ reseruatis in Bulla Cœnæ.

HÆC bulla quæ quotannis in die cœnæ promulgari solet, 20. excommunicationes Papæ reseruatas

con-

continent quarum *prima* fertur in omnes & singulos hereticos, quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprudentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, nempe in schismaticos, eosque qui se à summi Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinetè subtrahunt, vel recedunt.

Secunda fertur in omnes, & singulos qui ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis, ad vniuersale futurum Concilium appellant, & in eos quomodo auxilio, vel fauore appellatum fuerit Collegia, Vniuersitates, & Capitula quæ appellant, pœna interdicti plectuntur.

Tertia in omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare Pontificis, præcipue à monte Argentario vsque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Quarta in omnes, & singulos qui Christianorum nauorumcunque nauibus tempestate, seu in transfuerum, vt dici solet, iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sine in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta, mari, vel in littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuscunque maris regionibus, & littoribus surriperint. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, cõuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

Quinta in omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita

Sexta in omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S.R.E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falso fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma brevis. & etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Septima in omnes illos qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos à sancta Sede expresse vel nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Nec non illos qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodo libet præstant.

Octava in omnes qui impediunt, seu inuadunt eos qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, præminentia, conditionis, & status.

Nonæ in omnes illos qui ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui iurisdictionem delegatam, à summo Pontifice, vel ab ipsius iudicibus non habentes

bentes illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

Decima in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad urbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem,

Undecima in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutiens, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedis Apostolicæ legatos, vel nuntios, aut eos à suis diocæsis, territoris, terris seu dominiis efficiens; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel fauorem.

Duodecima contra omnes illos qui per se, vel per alias personas Ecclesiasticas quascunque vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel iudices super dictis causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Decima tertia contra eos, qui prætextu appellationis à grauiamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, recurrunt ad laicam potestatem, ab eaque appellationem admitti, aut præfatas litteras capi, & retineri faciunt. Item contra eos qui dictarum litterarum executionem aliqua ratione impediunt, vel prohibent. Et etiã contra eos qui accedentes ad Romanã Curiam, pro negotiis prosequendis, gratis,

tijs, vel litteris impetrandis, directè, vel indirectè prohibent ne accedant vel recurrant, & ne impetratis vrantur, vel dictas litteras apud se, vel apud alios quomodolibet retinere præsumunt.

Decima quarta contra omnes, & singulos qui per se, vel alios autoritate propria ac de facto, beneficia ac decimarum, aliasque causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant; illorumque cursum, & audientiam, ac personas, capitula, collegia, conuentus, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione iudices interponunt. Quiue partes actrices quæ causas illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas; & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales prohibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliàs compellunt; vel executionem litterarum Apostolicarum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant.

Decima quinta contra eos qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas coram se ad suum tribunal, præter iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore. Nec non qui statuta aliqua quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint vel factis & ordinatis vfi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimatur, ves restringitur, seu iuribus sedis Apostolicæ, ac quarumcumque Ecclesiarum directè, vel indirectè, tacitè vel expresse præiudicatur.

Decima sexta contra eos qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque iudices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè

Ver
 impetr
 los
 cas
 E. II
 407

directè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod canones, & sacra constitutiones Ecclesiasticae, decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt. Ac etiam eos qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias ferri Ecclesiastici iudicium eludentes, ad curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam poenalia ordinariis aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Decima septima contra eos qui iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad summum Pontificem & sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, siue Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

Decima octaua contra eos qui collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus accipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur. Et super his innouantur decreta per sacros canones, tã in Lateranensi recentissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita,

edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis conten-
tis.

Decima nova contra Magistratus & iudices, nota-
rios, scribas, executores, subexecutores quomodo-
libet se interponentes in causis capitalibus seu cri-
minalibus, contra personas Ecclesiasticas illas pro-
cessando, banniendo, capiendo, seu sententiam con-
tra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali,
specifica, & expressa sanctæ sedis Apostolicæ licen-
tia, quique eiusmodi licentiam ad personas & casus
non expressos extendunt, vel alias perperam abu-
tuntur.

Vigesima contra illos qui per se, vel per alios dire-
ctè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore
inuadere, destruere, occupare, & detinere præsum-
serint in totum vel in partem ciuitates, terras & lo-
ca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia ei-
que mediatè vel immediatè subiecta, nec non supre-
mam iurisdictionem in illis summo Pontifici, & ei-
dem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsur-
pare, perturbare, retinere, & vexare variis modis
præsumunt; nec non contra adhærentes, fautores, &
defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel
fauorem quomodolibet præstantes.

Hæ sunt excommunicationes summo Pontifici in
Bullæ cœnæ reseruata, post quas nonnulla addun-
tur hic obseruanda 1. Hanc bullam durare donec
alia vel ab eodem, vel ab alio Pontifice promulge-
tur.

2. A dictis censuris nullum per alium, quàm per
summum Pontificem, vel ab ea delegatum posse ab-
soluti, nisi in articulo mortis; nec etiam tunc, nisi de-
stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione
præstita.

3. Eos qui contra hanc prohibitionem censura in-
nodatos absoluere tentant, excommunicationem
incurtere, aliisque pœnis spiritualibus, & tempora-
libus grauitè coercendos.

4. Eum

4. Eum qui absoluitur ab aliqua ex dictis excommunicationibus, debere habere verum propositum similia ulterius non committendi, alioqui absolutionem nullius esse valoris, & si aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam fecit, debere illud reuocare, & rescindere.

5. Bullam prædictam ab vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati vbi libet constitutis, semel in anno, aut si expedit, pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicandam esse.

6. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, nec non Rectores, ceterosque curam animarum exercentes, ac Presbyteros seculares, & quorumuis ordinum Regulares, ad audiendas confessiones deputatos, debere transumptam huius bullæ penes se habere, eamque accuratè legere, ne incautè aliquem absoluant.

A R T I C V L V S VI.

De excommunicationibus extra corpus iuris canonici, & Bullam cæna. summo Pontifici reseruatis.

PRÆTER dictas excommunicationes sunt aliæ quamplurimæ, in bullis specialibus summo Pontifici reseruatae, quæ hic breuiter referendæ sunt.

Prima lata est contra eos, qui domum alicuius Cardinalium, tam tempore conclauis, etiam si in Romanum Pontificem tunc sit electus, quàm alias quâdocunque, & ex quacunque causa, armata manu inuadunt, & in ea violenter & hostiliter aliquid diripiunt, aut quempiam ex inibi existentibus vulnerant. Item contra id fieri mandantes, vel factum eorum nomine, ratum habentes, aut facientibus confa-